

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Constantini pietate palam crucis insigne profitentis. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

gnifica largitione eosdem dispertire : Illi infinitas cædes facere , quo facultates interemperorum rapinæ & publicationi patarent: sed toto illo tempore , quo regnabat Constantinus , dum populus cuiusque nationis , & ciues paternis potius gubernati legibus , quam necessitate adducti parebant , gladius quisque , quo iudicium sententia supplicium de maleficiis sumi solet , otiosus suspensus fuit . In quas quidem res oculis coniectis , dixerit aliquis meritò nouum quendam & inusitatum mundi statum modo apparuisse , insolito quodam lucis splendore , velut post crassam caliginem , mortali hominum generi elucente : fatendumque vniuersum hoc opus ipsius Dei esse , qui imperatorem tam pium , impiorum multitudini aduersarium opposuerit.

De Constantini pietate palam crucis insigne profitentis.

CAP. II.

CVm enim tales essent hi quorum similes non alii quando visi fuerunt , & talia facinora contra ecclesiam ederent , qualia ex omni seculorum memoria non sunt audita , Deus non sine causa principem quendam admirabilem in lucem extulit : cuius opera ea , quæ nec percepta auribus , nec sub oculorum aspectum subiecta fuerint , effecit . Hic imperator virtute tam eximius , ex Dei sapientia mortali hominum generi donatus fuit , tanquam res quædam peregrina , quæ homines in admirationem trudiceret . Hic enim Christum Dei libero ore & sermone in omnes diuulgauit : neque salutarem eam appellationem , quam obtinuerat , erubuit , sed ipsa professione gloriatus , se in luce & omnium oculis collocavit : atque interdum vultum salutari illa passionis signauit nota : nonnunquam trophyo illo victorioso plurimum se extulit.

Ll 2 De